

DISPUTATIO LOGICA  
& quidem  
PUBLICA  
De  
VNIVERSALI  
IN GENERE

Quam  
Christo Duce

Sub Patrocinio

Clariss. & Excellentiss. Viri  
M. IOHANNIS STRVBORGII  
Philosoph. in Collegio Rigensium celebri  
Profess. Publici, Præceptoris sui pluri-  
mum colendi.

*Pro viribus tueri conabitur*

NICOLAUS MANEKEN  
Rig. Liv.

Die 3. Iulij horis consuetis.

RIGÆ LIVONUM,  
Typis Gerhardi Schröder / Anno 1635.



*Nobil. Amplissimis, Consultissimis, Eruditione rerumq;  
experientia Praclariss. Viris.*

**Dno THEODORO DRELINGIO,**  
Ædili supremo & Senatori Civitatis Rigenfis meritissimo.

**Dno IOHANNI KOKEN** Secretario vigilantiss:

*Nec non*

*Viris*

*Spectatissimis, auctoritate luculenta, dignitate  
gravi, conspicuis*

**Dno HINRICO Meyer** | Collegij Majoris quod est  
**Dno BENEDICTO Hink** | Rigæ, Senioribus.

**Dno GERHARDO Maneten**, fratri dilectissimo.

*Dominis Macenatibus, Favitoribus & respective  
Curatoribus, Consanguineis, Affinibus &  
Fratri sine ullius temporis ac loci exceptione  
venerandis*

*Hasce disquisitiones*

*Observantia & gratitudinis debita  
testificanda causa, dicat,  
offert, consecrat.*

**Respondens.**



**T H E S I S.**

1.

**E**tsi potius Metaphysicæ sit considerationis ex  
instituto de universalibus differere; hinc multi aut uni-  
versalium difficultate & subtilitate deterriti, aut quod  
captum Logicorum superare putent ad Metaphysicam  
referenda esse arbitrentur: Tamen cum illorum notitia etiam  
Logicæ conducat, more Logico ea tractabimus, neq; quæ ad u-  
niversalium essentias ac rationes exponendas facere videbuntur,  
negligemus.

2.

Universale ex vi vocabuli rem aliquam multis communem  
designat. Cum vero multa dentur à parte rei quæ aliquam habi-  
tudinem ad plura importent; proinde multiplicia appellari so-  
lent universalialia.

3.

Quædam appellantur universalialia in causando, & dicuntur  
ea quæ varios producunt effectus in natura. Quædam sunt quæ  
habent vim exprimendi & repræsentandi plura, & appellantur  
universalialia in repræsentando. Quædam dicuntur universalialia quod  
plura significant, & hæc, universalialia in significando. Quædam  
in essendo, eo, quod pluribus inesse queant. Demum universalialia  
in prædicando appellantur, quod apta nata sint de multis prædi-  
cari, seu multis attribui. De ultima potissimum universalialium  
acceptio in præsentî disputatione agetur, neq; penultima  
prorsus omittetur.

A 2

4. Dari

4.  
Dari vero in singularibus naturas universas, non tamen à singularibus separatas sed cum eisdem conjunctas peripateticorum præcipuorum est opinio. Pro qua observandum, universum aliquando sumi pro notione universitatis seu universalitatis, ut autores loquuntur; & pro natura illi notioni subjecta. universum primo modo dicitur universum formale: secundo vero modo universum materiale, secundum quem modum naturæ universæ à parte rei in singularibus dantur; secundum vero formale, beneficio & ope intellectus eruuntur.

5.  
Observandum 1. per nomen hoc universale tria significare posse. 1. materialiter natura aliqua communis. Et hæc natura communis iterum dupliciter sumi potest, vel secundum actualem existentiam quam habet in inferioribus; vel secundum connexionem prædicatorum essentialium ex quibus Metaphysice hujusmodi naturæ communes componuntur 2. per nomen universale formaliter significare potest ipsa universalitas, quæ est quædam relatio rationis quam intellectus in natura abstracta eam referendo & comparando ad inferiora apprehendere solet. 3. Deniq; universale significare potest naturam communem universalitate affectam, ut nec natura communis, nec universalitas in se, sed ex utroq; quasi aliquod compositum significetur.

6.  
Observandum 2. hoc in loco, quamvis res quæ existunt actu singulares ac individua sint, ita, ut hæc res non sit alia: Habent tamen convenientiam quandam & similitudinem inter se, quæ quidem similitudo fundatur vel in unitate generica vel specifica naturæ alicujus. Hanc unitatem intellectus à pluribus participatam comprehendens, communem quandam rationem ab ijs præscindit, i. e. apprehendit id, in quo plura aliqua conveniunt, & non apprehendit ipsa multa inferiora quæ illum gradum communem participant. Hoc sic ab intellectu abstractum & præci-

sum vocatur universale in essendo: vel certe si concipiatur tanquam unum quid & prædicabile de pluribus, universale dicitur in prædicando.

7.  
Ex his prænotatis duplex communiter tradi solet universalis definitio ab Aristotele elicitæ. Una est dum dicitur universale esse id quod pluribus aptum est inesse. Altera magis Logica, quod aptum natum est de pluribus prædicari.

8.  
Illud vero quod aptum natum prædicari, ita in multis esse debet, ut etiam maneat unum extra multa cum habitudine ad plura, ita quidem ut unum quidem sit, sed communicabile pluribus non quidem unum manendo in se, sed suscipiendo multiplicationem per ea in quibus multiplicatur; Est enim universale unum commune multis.

9.  
His particulis, universale distinguitur à singularibus. Etenim singulare ita est circumscriptum suis proprietatibus singularibus ut alteri convenire nequeat: Universale vero cum ex se sua pteq; natura non includat hujusmodi proprietates singulares, poterit esse commune multis.

10.  
Per illam aptitudinem non præcise intelligimus aptitudinem Physicam, sed Logicam; ab alijs non repugnantiam; ab alijs indifferentiam ad essendum in multis, per quam natura ipsa universalis intelligitur communicabilis pluribus inferioribus.

11.  
Ad hoc autem ut natura dicatur apta esse in multis, duas potissimum requirimus condiciones. 1. ut illa natura ex suis principijs realibus à parte rei multiplicari possit, quæ conditio convenit naturæ secundum se sumptæ, & est fundamentum non repugnantia ad essendum in multis, in qua sita est ratio aptitudinis universalis naturæ. 2. ut non sit determinata per singulares condi-

tiones, sed habeat quandam indifferentiam, ita ut non respiciat unum singulare magisquã alterũ. Hac posita indifferentia, intelligitur per intellectum jam natura sufficienter apta esse in multis: Sicut enim à parte rei ineptitudo ad essendum in multis sequitur determinationem naturæ; Ita per intellectum facta præcisione naturæ à conditionibus individuantibus, sequitur eandem naturam aptitudinem indifferentiæ seu non repugnantiam ad essendum in multis.

12.

Universalia itaq; hisce modis considerata non sunt mera & nude voces vel conceptus animi nullibi existentiam sibi vendicantes: Verum si fundamentaliter considerantur sunt veræ ac reales naturæ vocibus ac conceptibus formalibus significatæ atq; expressæ.

13.

Neq; universalia sunt ideæ seu formæ quædam reales à rebus particularibus separatæ & extra illas existentes. V. G. ac si natura humana à Petro, Paulo, Bernharo alijsq; hominibus, esset realiter abstracta & extra eos omnes existens, illaq; appellaretur idea, à qua eadem manente & realiter à singularibus separata, omnia singularia essentiam mutuarentur, non minus quam ab eodem sigillo variæ imagines ceræ imprimuntur, talem naturam universalem respicimus, cum nulla subsit ratio cur talem ideam admitteremus.

14.

Ad instantiam vero quod spectat nisi universalia essent realiter separata à particularibus, non potuissent dici incorruptibilia, æterna; quippe dum in singularibus existunt neq; realiter ab ipsis avulsæ reperiuntur, universalia nequaquam posse dici incorruptibilia ac æterna. Quid huic instantiæ reponendum, videatur ultima nostra disputatio Ethica publice habita, in qua enucleavimus quo sensu universalia dicebantur æterna.

15. No-

15.

Notandum insuper in duplici sensu hanc quæstionem proponi posse de distinctione universalis à singulari. 1. quari potest, an illa res, quam vocamus universalem, sit à parte rei realiter distincta à re singulari, ita, ut propriam existentiam & distinctam ab existentia rei singularis habeat. 2. quari potest, an natura illa in inferioribus contracta, nec ab illis realiter distincta, interim varias rationes distinctivas obtineat, plures conceptus formales terminantes habeat, prout secundum has vel illas formalitates intellectui objicitur. Priorem significationem rejicimus, posteriorem acceptamus.

16.

Cum ergo universalia non sunt realiter avulsæ à singularibus, interim naturam communem ab ijs differre, quæritur non immerito, quo genere differentiæ ac distinctionis distinguantur? Dicimus naturam communem differre à singularibus ratione ratiocinata. quo pacto hæc differat à ratione ratiocinante, alibi fusius à me abunde percepistis.

17.

Certum enim est inter universalia & singularia aliquam saltem debere dari distinctionem, nam eadem res non potest & communicabilis & incommunicabilis pluribus denominari: neq; etiam unum idemq; omnino eodem respectu potest esse & contractum & contractum, quas tamen denominationes scimus competere universalibus & singularibus.

18.

Quæritur, cum universale in se habeat aliquid materiale, aliquid formale, num vel seorsim hi termini considerentur, vel conjunctim? Neq; naturam communem quæ existit in singularibus, ex qua resultat materialis consideratio: Neq; ipsam universalitatem per quam natura refertur ad sua inferiora, ex qua formalis resultat consideratio, seorsim consideramus; sed naturam ipsam communem, ut (liceat nunc mihi ita philosophice loqui) univer-

universalizatam seu sub hac conditione in quantum ei convenit universalitas id est unitas quaedam & aptitudo ad essendum in pluribus, deq; ijs prædicandum.

19.

Ex quibus sic positis, ardua hic ponitur quæstio, num entia vere dici queant universalia ante omnem etiam operationem intellectus? Non sequimur prorsus illorū opinionem qui absolute asserere non verentur, omnia entia non nisi intellectus nostri operatione esse universalia, nec rem ullam esse aut dici posse universalem, nisi cum illam à suis conditionibus individuantibus per operationem intellectus abstraxerimus. Hi universalium naturam ex nulla alia re quam ex unico nostro cognoscendi modo metiuntur. Verum in hac ardua quæstione ut veritas commodius eliciatur, sic procedendum. Si universalia juxta Metaphysicæ principia perpendimus, rerum naturas & essentias esse universales citra operationem intellectus, concedere possumus: Si vero universalia more Logico & formaliter metiamur, universalia quatenus universalia, dicuntur objective universalia. i. e. per operationem intellectus: Quia in tali consideratione res illa dicitur universalis quatenus illa aptitudinem prædicandi de multis comprehendit; Esse enim unum & simul in multis actu deq; multis prædicari ante omnem operationem intellectus, asserere vetat ratio.

20.

Dum ergo res aliqua sic modo accepta universalis, intellectui cognoscenti objicitur, nascitur quaedam habitudo totius universalis ad partes subjectas. In illa habitudine si consideretur relatio quaedam rationis ex operatione intellectus comparantis rem illam universalem cum suis inferioribus & peculiari nomine directam, i. e. habitudinem Thomistæ vocant ens rationis, de quo publicam etiam instituimus disputationem.

21.

Interim non diffitemur si universalia exacte cognosci debeant

beant necesse esse, ut non intuitive modo sed per operationem intellectus considerentur & à suis inferioribus abstrahantur, non quidem abstractione reali, sed præcisionis, quæ in ea consistit, cum è multis conjunctis & cum particularibus differentijs relatis, id quod commune est animo concipitur. Alij loquuntur, per abstractivam cogitationem intelligi eam, qua cognoscitur res secundum sua essentialia seu prædicata quidditativa.

22.

Fecimus mentionem voculæ (intuitive) pro qua advertendum, duplicem esse cognitionem, aliam esse intuitivam rei, aliam abstractivam. Intuitiva est illa qua cognoscitur objectum pro ut est in se, secundum ea omnia quæ sunt formaliter & actu in re ipsa. Abstractiva cognitio illa est, qua cognoscitur res secundum sua essentialia seu quidditativa prædicata: vel secundum aliquos, qua cognoscitur res tota quidem, sed non totaliter, i. e. non secundum omnem illam rationem, secundum quam cognoscibilis est. Alij hanc cognitionem vocant inadæquatam & non totalem.

23.

Nec valet objectio, rem simplicem non nisi simpliciter & totaliter concipi debere. R. nihil obesse quin res simplicissima etiam distinctis conceptibus apprehendi possit, non quidem ita, ut una pars rei simplicis semper representetur per unum conceptum, altera per alterum; Hoc enim est contra naturam rei simplicis. Sed ita res intelligenda est, cum res simplex simplicem obtineat entitatem, tota quidem per unum & tota per alterum conceptum representatur, at non totaliter, i. e. non omnino eo modo quo conceptibilis & representabilis est. Unde quando dicitur aliquid representari implicite, per unum conceptum, per alterum aliquid explicite, hoc ita intelligitur, quatenus res eadem simplex habet alterum atq; alterum conceptum respectu nostri, respectu cujus unus magis explicite quam alter rem præsentat.

24.

Alij duplex statuunt universale, absolutum & relativum, B  
i. fieri

1. fieri per directum actum intellectus existimant. i. e. per abstractionem intentionalem ut loquuntur, non quæ sit pura & nuda rei qualiscunq; ab altera præcisio, sed quæ sit rei huiusmodi præcisio, per quam multa à parte rei sunt similia. 2. pro ut scilicet sumitur natura cum relatione universalitatis, fieri arbitrantur per notitiam aliquo modo comparativam & reflexam, ita, ut tum dicatur universale relativum formaliter, quando natura abstracta ad sua inferiora comparatur ac refertur, quod fiet ut prius comparentur ipsa inferiora inter se, in eo, in quo conveniunt; Deinde illud in quo conveniunt consideretur præcisio à conditionibus individuantes, quæ omnia fieri nequeunt, nisi per notitiam aliquo modo comparativam ac reflexam.

25.

Ex hac ultima consideratione confurgit ratio rationis, quæ quidem ratio dicit ordinem, tam ad intellectum potentem prædicare, tam ad rem illam de qua prædicatur. Et cum sit ratio rationis, habet suo modo & fundamentum in re ipsa ad aliud, quod nihil aliud quam inexistencia naturæ universalis in inferioribus per identitatem, quæ prædicabilitatem ejusdem naturæ de suis inferioribus fundat.

26.

Ut autem natura abstrahi possit & fieri universalis, non est semper necesse actu plures esse species seu individua, quia potentia naturæ universalis non est præcisio positiva inclinatio ad actum, sed est quædam non repugnantia, ut supra insinuatum. Neq; vero illud effatum est huic oppositum; nempe, naturam, quæ non potest actu multiplicari, non posse etiam abstrahi, nec esse universalem: sufficit inquam illa multiplicatio aptitudinalis quæ singulari tantum essentiâ tollit, illamq; multiplicatione privat.

27.

Quæris porro, an peremptis singularibus, pereant naturæ universæ? Hoc quæsitum multas fovet opiniones. Nos brevitati studendo, remanere aliquo modo posse arbitramur. 1. in virtute suarum

suarum causarum. 2. secundum alios remanere. 3. secundum connexionem extremorum.

28.

Tandem coronidis loco quæritur, an peremptis singularibus pereat veritas enunciationum? non dubium est, quin si commensuretur intellectu divino, maneat illarum veritas. Interim etiam non omnino absurdum esse ratio suadet, peremptis singularibus adhuc veritatem enunciationem remanere, in ijs præsertim, in quibus attributum est de essentia subjecti, ut jam insinuatum. Hic quoq; nobis agendum restaret de propositionibus æternæ veritatis num habeant causam? quidam enim tuentur partem negativam, quidam affirmativam: item de unitate formali universalium, num illa dici possit minor numerali: item num gradus genericus & specificus distinguatur à parte rei, cum quibus identificantur; item de notione & abstractione, de multiplicitate unitatis: item an natura fiat universalis per abstractionem potius, quam per comparationem: item num universalis verius esse habent in se, quam in intellectu & habitu &c. Verum ut rerum universalium difficultati, subtilitati & temporali morem geramus, plura hac vice, præter contenta in thesib<sup>9</sup>, addere non est animus. Sufficiant illa ad majorem Dei gloriam & auditorum meorum incrementum de præsentis disputatione protulisse.

### Confectaria.

*Socrates est homo mortuus ergo Socrates est homo, num vera illatio? D.*

*Homo est vivens num essentialis & perpetua? D.*

*An mortuum absolutum in omni enunciatione opponitur viventi? D.*

---

Politisimo, & ingenuè Docto Dno Respondenti, de universali in genere disputanti, hæc bina Anagrammata,

NICOLAUS MANEKEN

1. EN ICON, LAUS MANE. (k omissa.)

2. INCOLA SUM, NE CANE. (k in e mutata.)

En

**E**N tua sacratur divis Iconcula Musis,  
O surgens Patrij laus, Nicolaus, soli!  
Primitus & Logica nitet hæc imposta sacello  
Effigies Genij tam speciosa tui  
Sic porro sacres, Musis Dilecte, tuumq;  
Sic cultum ingenij gloria digna manet.

2.  
Nè cane, non partâ victoriâ ab hoste, triumphum,  
Musica quisquis amas certamina, Apolline dextro;  
Incola sum, Logica, quam invadere niteris, Arcis,  
Hæ thesium erecta, mea Propugnacula, moles;  
Arma laceßita sunt Unversalia pugnae;  
Lingua globus volitans; clypeus Struborgius acer.  
Hoc ego tergemino degam munimine tutus  
Incola; nec palmam luctæ despero ferocis,

Honoris & amoris ergò L. Mq; adscribere volui  
IOHANNES GAMPER Colleg. Schol.

**P**OEonias alij cælo æquant laudibus artes,  
Atq; volunt medici visere tecta boni.  
Laude vehunt alij speciosa volumina juris  
Legiferi, ut sacrae Marte micent Themidosæ  
Sed solus studium sophiæ super æthera tollo,  
Laudibus, ac recino docta reperta Sophum,  
Illæ noverunt tantum de pellere morbos,  
Ne grassantis homo mortis ad antra migret.  
Hæc equidem possunt valido constringere vinclo  
Cives, ne rixis oppida lata ruant.  
Ast hoc connectit rationis legibus arcte  
Cives, & vitiis languida membra sanat.  
Propterea sequeris sopheriam nunc jure Magistram,  
Dum prompte logicas suscipis hæc theses.  
Perge ita, collustret tua pectora Numinis aura,  
Hostica magnanime pellere tela queas.

Sincerioris amicitia ac fraternitatis ergo  
sic gratulari voluit

PETRVS VVEYER Riga-Livon.  
Phil. Studiosus.

FINIS.